



678

CAROLI PASCHALI
CVNEATIS

AD HENRICVM III.
FRANCORVM REGEM

Oratio.



V E N E T I I S,

Apud Andream Muschium.

M. D. LXXIIII.

CAROLI PASCHALI

CVNEATIS

AD HENRICVM III.

FRANCORVM REGEM

Clario.



2337415

W. D. LXXIII



QUOD optimo cuique, ante hodiernum diem
maximè fuit in optatis, Henrice, Rex maxi-
me, atq. inuictissime, ut Gallia tua iam tot
annos malis oppressa ciuilibus caput extolle-
ret, et aliquando recreata se erigeret, iam est,
cùm nobis non solum sperare licet; verùm
etiam quòd reuera ita sit, ei, cuius numine omnia reguntur, &
gubernantur, gratias agere quàm maximas, & possumus, ac de-
bemus. Adest enim illa dies optata magis, quàm expectata, qua
Deus opt. max. tantum in Christianam remp. beneficium contu-
lit, nihil ut maius, nihil praestantius, nihil denique optabilius
hominibus accidere potuerit. Neque enim Gallia solum, verùm
etiam Italia, atque adeò caeterae omnes gentes de tanto, tam in-
expectato, ac repentino bono sibi ipsae gratulantur; quae, scili-
cet, id iam se adeptas esse putant, quod ne optare quidem ante
hunc diem ausae essent. Tanta, scilicet, superiori anno omnium
ferè hominum desperatio animos occupauerat, ut nulla spes osten-
deretur, Christianam rem meliore, quàm quo erat, loco aliquando
futuram. Nam ad exitiosum illud bellum, easque calamitates,
quas acceperat regnum illud tuum maximum, ac potentissimum,
(qua ex re magnum quoque periculum in vicinas gentes redun-
dabat) accesserat tuus in ultimas regiones discessus, quo qui-
dem nihil nobis acerbius, aut luctuosius esse potuit. Erat enim
Gallia orbata eo adolescente, qui unus, ex omni hominum nume-
ro, sua sapientia, magnitudine animi, atque incredibili virtute,
tot, tantisq. malis remedium adhibere poterat. Sed quando om-
nium rerum est vicissitudo, nullumq. tantum est peccatum, cui
non tandem ignoscatur, si modò is, qui culpam commeruit, ve-
niam, ut par est, petat; tandem, credo, homines in coelum susse-

xerunt, atque à Deo, ut sibi suam misericordiam tribueret, continuis precibus contenderunt. Quas sanè preces ille, opinor, audivit. Id quod velle ex eo perspicere facile potest, quod te, Henrice, regum decus, atque ornamentum, in hisce terris aspicimus, quae se ideo felices existimant, quòd ad ipsas accessit is, qui inter caeteros mortales omni laude cumulatus est. Non igitur mirari debes, si te ex ultimis terris aduenientem praeclarissimae hae Venetiae, atq. adeò Italia tota tanquam singulare, atque expectatissimum aliquod bonum excipit. Me verò ea res, ut in tuum conspectum venire, impulit, non ut, te praesente, de tuis virtutibus, quae innumerabiles reuera sunt, dicerem (nam quis tandem exitus orationis futurus esset?) sed ut, quod me de te, tuaq. praestantia sentire videbis, id ipsum scias, qui non sentiat hominem omnino reperiri neminem. Tantus enim virtuti honos habetur, ut, qui ea sit praeditus ab omnibus colatur, observetur, ametur. Nam si tenuissimum quemque, in quo aliquod modo probitatis vestigium appareat, charum habemus; quid? regem omnium longè maximum, ac nobilissimum, atq. adeò eum, in quem natura quicquid boni habuit, contulisse videtur, non suspiciemus? non admirabimur? non quàm maximis poterimus laudibus in coelum efferemus? Patere ergo, Henrice praestantissime, atque hoc, pro tua singulari humanitate, mihi concede, ut, interim dum ipse tibi, ac tuis, hoc est, nobis omnibus, qui tui sumus, atq. adeò toti Europae, tanta, quae ipsi contigit, felicitate gratulor, me attentè, & benignè, ut soles tu quidem eos omnes, qui ad te accedunt, audias. Ego verò, quàm brevissimè poterò, dabo operam ut cognoscas, nos omnes, qui ut omnia tibi faustè, ac feliciter eveniant, precamur, praeclarè intelligere nullum maius bonum a Deo, multos ab hinc annos, hominibus esse datum, quàm

quàm te, qui ideo natus es, ut Christianam remp. iam aliquot annos, singulari quorundam improbitate, grauissimis casibus afflictam erigeres, planeque confirmares. Neque verò tu is es de quo hanc homines ob spem futurae uirtutis coniecturam faciant; sed ex ijs, quae, praeter omnium expectationem, iam à prima adolescentia, pro salute patriae, quod tuum est regnum, praeclarissime gessisti. Nam, per Deos immortales, quid, non dicam ab adolescentulo, sed ab eo, qui conscribendis exercitibus, signis conferendis, committendis praelijs, castellis, oppidisq. munitissimis expugnandis aetatem consumpsisset; aut ciuitatibus, regnis, prouincijs multos annos sapientissime praefuisset, quid, inquam, ab eo tantum expectari potuit, quod non tu, admirabili ista, qua praeditus es, animi magnitudine, non sine ingenti omnium pene gentium, ac populorum admiratione praestiteris? Sed prius, quàm de ijs dico, quae tu Christianae reip. gratia praestitisti, non equidem teneri possum, quin aliquot ex ijs, quae ingenij, pudoris, ac uirtutis in te puero fuerint signa, aliqua enumerem. Nam quemadmodum Cyrum illum Persarum regem, etiam cùm puer esset, magni animi, atque excellentis ingenij non parua signa dedisse legimus, ex quibus qualis, quantusq. futurus esset haud obscure colligi poterat; ita quoque tu, Henrice praestantissime, in eadem illa aetatula mirificam tui omnibus expectationem concitasti. nam ex eo tempore coeperunt homines magna in spe esse, te eum fore, qui reip. plurimum, tua singulari uirtute, aliquando prodesse posses. Nam cùm puerilis aetas ludicris exercitationibus plerunque delectetur, non modò eae ullam tibi delectationem afferebant, sed iam tunc ijs in rebus totus eras, quae istam tuam praeclaram indolem, qualis esset, facile demonstrabant. eos enim libellos, ex quorum lectione historiarum, omnisq. adeò antiqui-

tatis

tatis cognitionem consequi poteras, Studiosè, diligenterq. per-
uolutabas: eaq. in re quantum temporis, operaeque poneret, ij
sunt locupletissimi testes, quorum tu fidei ab Henrico patre tuo
rege inuictissimo, quem ego honoris causa nomino, concreditus
eras. Iam tunc, opinor, praeclara magnorum, atque excellen-
tium virorum facinora es admiratus; quae quidem imitari non
solum pulchrum esse putasti, verum vidiſti unam eam viam
laudis, & gloriae rectissimam esse, quam tibi tot praestantis-
simi viri tritam reliquissent. in eoq. tibi elaborandum esse du-
xisti, ut eandem tu ingredereris, perpetuoque insisteres. O in-
dolem praeclaram. o puerum admirabilem; atq. adeò eum, de cu-
ius incredibili virtute non satis dici potest. Nam quid ego di-
cam de pietate, quae est fundamentum uirtutum omnium, quam
tu, Henrice, adeò colebas, ut mirum esset in puero tantam esse
sanctitatem, ac religionem? Quod ita esse illud signi sat est,
quòd, cum Caluiniana haeresis altissimas (proh dolor) in Gallia
radices egisset, ac plurimis, quorum mentes illius prauitatis erro-
ribus imbutae erant, id unum esset propositum, ut te quoque in
eandem fraudem illicerent, nempe, ut posteaquam errorem cum
lacte suxisses, te ipsorum ducem profitereris (illi enim hac spe, at-
que opinione adducti ei rei tantopere dabant operam) non modò
ipsis assentitus es, verum etiam magna constantia, quam semper
seruasti, apertè satis omnes homines docuisti, nihil esse Deo acce-
ptius, quam ijs omnibus in rebus, quae ad ipsius cultum perti-
nent, ne transuersum quidem, quod aiunt, digitum discedere ab
ijs, quae à maioribus nostris, viris prudentissimis sapientissimè
tradita, & constituta, ac sanctissimè, religiosissimeq. obseruata
sunt. Neque verò satis mirari possum, Rex praeclarissime,
quidnam illis in mentem uenerit, existimare, posse te adduci, ut

Christianae

Christianae religioni bellum indiceres, tu, inquam, qui ex eorum stirpe generatus es, qui nunquam non acerrimos se eius propugnatores, ac defensores prae buerunt; imò quorum virtute, & copijs resp. Christiana a barbarorum immanitate, ac faucibus quàm saepisimè erepta est, ac seruata. Sed quantopere ipsorum opinionem fefelleris, res ipsa satis, opinor, planum facit. Nam quem illi suae nequitiae defensorem fore sperauerant, is fuisti, cuius ductu, atque auspicio impij, ac nefarij conatus, quos illi in Christianam perniciem parauerant, compressi sunt. O admirabilem, sicut omnibus alijs in rebus, tum verò in hac potissimum, Dei bonitatem. O sapientiam singularem. o providentiam, qua omnia sapientissimè administrantur; quae te, tanta uirtute, ad hoc tempus reseruauit: qui nisi fuisses, hei mihi, quomodo nobiscum actum esset? quis Christi gregem in Gallia tua, aduersariorum insolentia, atque audacia oppressum, ac tot calamitatibus afflictum, & iacentem erexisset? Quod itaque tu ab officio, & pietate nunquam abduci potueris, diuinæ primùm providentiae, ac postea animi tui istius inuicti, atque excelsi magnitudini acceptum referri debet. Tu enim is es, cui nihil antiquius fuit, quicquid ad eum emori maluisti, quàm non te, omnibus in rebus eorum similem praebere, quorum virtutem totus terrarum orbis suspicit, atque admiratur. Cum autem tantam singularis virtutis in puerili aetate significationem dedisses, qualem porrò te in adolescentia, reliquaquæ uita fore homines existimare poterant? eum, sanè, qui, quam sui expectationem excitauerat, hanc non modò sustineret, verum etiam quàm facillimè vinceret. Nam statim ut seditiones illae, quibus nihil unquam, post hominum memoriam, tetrius fuit, aut exitiosius, concitatae sunt, improborum exultantium conatus, ac furores tanta animi magnitudine fregisti,

ut,

ut, prius illi eius, qui bonorum dux esset, uirtutem, non sine suo magno malo, experirentur, quàm, quisnam is esset, scire possent. Quis enim dubitat eos hoc consilio tam audax facinus facere esse ausos, nempe, ut regi optimo fratri tuo, ac tibi, & Catharinæ matri uestrae, reginae praestantissimae, quam ego honoris causa nomino, caeterisq. uiris nobilissimis, ac praestantissimis armati insidias pararent, nisi quia, qui eorum conatibus obuiam iret, ipsorumq. effrenatos, ac praecipites furores reprimere posset, existimabant reperiri posse neminem? Ac praeterea quantopere homines audacissimi, regis, matris tuae optimae, ac tua etiam, Henrice, facilitate abuterentur, uel inde cognosci potest, quòd cum per summum scelus, atque incredibilem impudentiam, nihil non sibi licere existimarent, suos illos gladios, iam multorum sanguine cruentos (o facinus indignum) in uestris, omniumque adeò bonorum ceruicibus collocauerant. Tunc admonitore, credo, opus habuisti, qui te, quatenus tuae partes essent, doceret; aut hortatore, qui te, tuamque uirtutem, quae iam tunc temporis maxima erat, excitaret. Minimè uerò, minimè. Ipse enim tua sponte exarsisti ad tantae audaciae, atque improbitatis uisciscendae cupiditatem. Itaque non tibi in re tanta diutius cunctandum esse dixisti. Sed cum uix per aetatem arma ferre posses, regi optimo, fratrique amantissimo tui, qui cum tuam incredibilem uirtutem satis cognitam, perspectamque haberet, tibi id negotij dederat, ut uideres nequid detrimenti regnum pateretur, roganti atque obsecranti tuam operam omnibus in rebus, sine ulla exceptione, amantissimè pollicitus es: in teque recepisti fore, ut nulla, neque uitae, neque periculorum, quae maxima te adire necesse erat, habitata ratione, saluti ipsius, atque omnium bonorum, totiusque adeò regni incolumitati nunquam deesses. Id quod non solum ex ani-

mi sen-

mi sententia prestitisti; sed omnia, ut nemo non fatetur, tanto consilio, tanta prudentia, tanta animi magnitudine a te adolescentulo gesta sunt, ut mirum sit tantum virtutis, ac fortitudinis inesse ei, qui quidem humano patre, atque humana matre sit natus. Nam ut primum ad exercitum quem incredibili celeritate conscripseras, venisti, & unicuique quid facto opus esset, pro imperatorio munere, quo fungebare, praescripsisti; coeperunt homines uno ore illud ipsum de te praedicare, quod olim de Pompeo Magno dictitatum esse memoriae traditum est, eum, scilicet, prius imperatorem, quam militem fuisse. Cui rei satis, opinor, argumento sunt hostium acies non à te semel, atque iterum, sed quam saepissimè profligatae, ac fusae. Quando enim haud sanè multum referret in Imperatore inesse scientiam rei militaris, virtutem, atque auctoritatem, quae quidem omnia in te a natura, tanquam in opere quodam absoluto, ac perfectò cumulatissimè collata conspiciuntur, nisi quoque adesset felicitas, verae, perfectaeq. virtutis comes; quae tua est humanitas, Henrice rex maxime, da hoc mihi, ut de hac tua tanta felicitate, quanta in ullo unquam homine fuit, tibi, pro meo, atq. adeò totius Italiae in te studio, atq. obseruantia, gratuler. Cui enim haec deest, is etsi magna laude dignus est, si modò virtute sit praeditus; attamen non sanè multum reip. prodesse potest; cum, qui fructus eius praestantiae percipi deberent, ij nulli sunt. Sed quam rem obsecro, licet laboris, ac difficultatis plenam unquam tu suscepisti, quam non ex animi sententia praeclarissimè gesseris? quam tu urbem oppugnasti, quam non summa vi, ac virtute expugnaueris, aut saltem, aliqua ratione in tuam potestatem ut veniret, coegeris? quod tandem praelium commisisti, ex quo victor, verumq. ac iustum triumphum agens non redieris? Atque ut infinita, quae hac

B de re,

de re, a me, hoc loco, enumerari possent, omittam; reuocabo animum tuum ad Moncontoriensis praelij memoriam; de quo sanè praelio quandiu homines loquentur (loquentur autem in infinita posteritate) tuae praestanti virtuti praeclarum testimonium nunquam deesse poterit. Ecquis enim omnino eorum omnium, qui illi praelio interfuerunt, non tuam prudentiam admirabilem, cum incredibili celeritate, diligentiaq. coniunctam non admiratur? quis insignem istam animi magnitudinem, ac robur, laudibus, quàm maximis potest, non celebrat? quis incredibilem in dicendo uim, atque eloquentiam in cohortandis militibus, animisq. si quando ijs defecerant, addendis, ac praemiis, his qui primi in hostem impetum fecissent, proponendis sat dignè se commendare posse putat? Peruoluet, qui uolet veterum scriptorum monumenta: vix ullum tantum, tamque praeclarum facinus reperiet, quod quidem cum hoc aliqua ex parte conferri possit. Si enim cum quonam hoste res tibi esset, considerabimus; nonne is fuit, qui calliditate, ac dolo Ulysses illum unum ex Graeciae principibus, atq. Annibalem ipsum Carthaginensem facile superauit? Quid? eius copiae quales, quantaeq. fuerunt? nonne equitatu tantum ualebat, ut tantam equitum armatorum multitudinem nemo unquam, post hominum memoriam, quouis in exercitu, & quauis tandem in regione, uiderit? quid ego dicam de peditatu, de bellicis tormentis, ac denique de toto exercitu, quem is ex omni perditorum hominum genere conscripserat? cum quo haud sanè scio an tuus esset conferendus. Nihilominus tamen ille tantus Imperator, cui nemo resistere posse existimabatur, ille copiae, quae sua, & multitudine, ac uirtute nihil non posse uidebantur, quae Deo ipsi Opt. Max. omnibusq. coelitis insensae erant, a te adolescentulo fusae, caesae, ac deletae sunt. Nam simulatque signa sunt colla-

ta, atq. acriter dimicari coeptum est, tu primus inter medias hostium acies fortissimè pugnans conspectus es. Quod hostis conspiciatus, cum iam tunc suum malum praesagiret, audacissimo cuiq. ex ijs omnibus, qui in suo exercitu essent, in te, cuius, nimirum, uirtute se profligatum iri videbat, impetum facere iussit. Illi verò Imperatori dicto audientes, dictum ac factum omnes te quaerunt: nihilq. sanè ijs fuit deliberatius, quàm ut te unum, inter caeteros, obtruncarent, atq. opprimerent. Tunc tu graui quodam ictu non fere prius ex equo deiectus fuisti, quàm, summa cum animi alacritate iterum in eum ascendisti, atq. hostibus, quantum uirtus tua posset, ostendisti. Quis enim nescit in ipsorum exercitu, eo die, peditum uiginti millia desiderata esse? cum ex tuis praeter pauculos mortuos non plus quàm ducenti eo in praelio uulnerati sese ad suos reciperent? nonne illico tantus ille Imperator, si Dijs placet, unà cum tot equitum millibus, turpissimè in fugam se coniecit? O uictoriam praeclaram. O rem admirabilem. O diuinum propè adolescentem. Quis te, Henrice praestantissime, ut meritus es, collaudare poterit? tantam, mihi crede, ex ea re gloriam consecutus es, quantam uix hoc terrarum orbe capi posse puto. Nihil attinet, hoc loco, dicere de caeteris pugnis, urbium expugnationibus, caeterisq. facinoribus, quibus nihil maius dici, aut excogitari potest. Quid enim Scipio ille Africanus, aut Pompeus Magnus, ac denique Julius ille Caesar, Romanorum Imperatorum fortissimi, ac praestantissimi, si ijs temporibus ac locis interfuissent, magis praestare potuerunt, quàm a te ijs omnibus in bellis, quae quidem, summa cum tua laude gessisti, praestitum est? Adsunt, adsunt, etiam nobilissimi uiri, quorum praestantia, & singularis fides tibi, omnibus in rebus, cognita satis, abundeq. perspecta est, quiquidem quantum rei militaris scien-

tia caeteris omnibus, qui te aetate anteeunt, antecellas, apertissimè testantur, quippe qui rerum a te praeclarissimè gestarum grauiissimi sunt, ac locupletissimi testes. Sed, quid ego milites? quid tot praeclaros uiros? quid totum exercitum? quid denique res tuas gestas tuae uirtutis, praestantiae, magnitudinisq. animi testes appello? Ipse, ipse hostis tuus, unà cum ipsius exercitu, nonne cum tuum nomen nominari audiebat, totus tremebat, et, quonam sese uerteret, nesciebat? Nemo, nemo sanè erat in tota illa flagitiosissimorum hominum colluue, qui non sibi esset conscius, te eum esse, cuius uirtute, ac fortitudine ipsorum conatus tandem aliquando infringerentur, ac debilitarentur. Hac uerò laude, quae ab hoste profisciscitur, atq. hosti tribuitur, quatenam, obsecro, maior dici potest? te illi turbinem appellabant; ac reuera, mea quidem sententia, turbinem, qui tandem ipsorum nequitiae arcem deiecit. Quae sanè res tuo regno, caeterisq. adeò regionibus, quae quidem ea causa non parum quoq. laborabant, summam tranquillitatem, ac pacem expectatissimam peperit. Tu uerò, Henrice, non homo, sed praeclarissimus heros futurus es in gloria sempiterna, qui uerae uirtutis fructus, rerumq. gestarum praemium erit amplissimum. Porro non saepè, ut res ipsa docet, accidit, ut, qui ad artem militarem, quae praestat caeteris omnibus, animum adiunxit, is caeterarum quoque artium scientiam perceperit; non sanè quòd ars militaris a caeterarum artium, ac scientiarum cognitione abhorreat, ut plerique falsò existimant; sed quòd, qui bellum gerit, ei plerunque non tantum datur otij, quòd satis sit ad caeterarum quoque rerum cognitionem, quae per se difficilis est, capiendam. Ideoq. fit, ut non multi, hodierno die, reperiuntur Imperatores egregiè fortes, ac boni. Te uerò, Henrice inuictissime, qualem esse dicemus, qui quidem ad bellicae laudis gloriam,

riam, qua maximè excellis, artium, ac scientiarum cognitionem accedere volueris? Praeclarè tu quidem nosti inter militarem artem, & caeteras eas, quae liberales appellantur, tantam esse cognitionem, atque affinitatem, ut, si quis unam demat alteram quoque tolli necesse sit. Quid ego dicam de eloquentia, qua quantum valeas, ea quae superius à me dicta sunt satis apertè demonstrant? Attamen ad illa quidem hoc unum addam. Quia enim ferè fit, ut, quorum consuetudine delectamur, quosq. charos habemus, horum similes simus; non hercle aliter animum inducere possum, quin in te quoque dicendi vim admirabilem inesse credam. huiusq. rei vel de eo coniecturam facio, quòd Guidonem Fabrum Pibrachium, quem honoris causa nomino, virum ob egregias, praeclarasq. animi dotes propè singularem, atq. eloquentissimum Galliae, ac, verius ut dicam, totius adeò Europae oratorem ita diligas, charumque habeas, ut tibi nihil unquam sit antiquius, quàm cum praeclarissimo eo viro plures diei horas suavisimo, iucundissimoq. sermone consumere. Quid de caeteris omnibus excellentis ingenij hominibus dicam, ex quibus tota tua praeclarissima familia constat? Quae quidem omnia te eum esse satis demonstrant, qui omnibus hominibus uirtute plurimum praestas; ac proinde ea gloria, quae uera est, excellis. O felix, ac fortunatum hoc seculum, atq. haec tempora, in quae singulari quodam fato, ac Dei Opt. Max. beneficio incidisti. O felices eos, quibus hoc a Deo concessum est, ut tuo imperio pareant. Nam quanta porro spes est, fore, ut multi praeclarissimi viri in posterum & armis, atque in toga clari, tuis, Henrice, imbuti praeceptis, reddantur? Talis enim plerunque est familia, quale eius est caput; is exercitus, qui est Imperator; ea ciuitas, qui magistratus; id regnum, qui rex. Equidem in ea spe sum, ut, cum tot nobilissi-

mi, ac

mi, ac praeclarissimi adolescentes se ad tuos mores, vitamq. con-
formant; atque ad eam, naturae quaedam bonitate, quae potissi-
mum in Gallis, tuis, inquam, Henrice, hominibus, conspicitur,
deducatur, fore ut non desint praestantes viri, qui tuo exem-
plo, quo quidem nullum illustrius esse potest, rebus perditis, ac
ferè desperatis, sua virtute, opem sint laturi. Sed ut ad te, Hen-
rice maxime, redeam; quid illud esse dicam, quod nemo est, cui non
sis charissimus, quiq. non te quàm amplissimum esse percipiat?
Nam, quae res, obsecro, effecit ut Poloni illi viri sapientissi-
mi te in summo dignitatis gradu locarent, tibiq. amplissimos ho-
nores, quos multis summa contentione petentibus denegarant,
ultra deferrent, nisi opinio, quam de tua virtute, tuisq. mo-
ribus habent? Tantus, tantus est tuae virtutis splendor, ut
non modo Galliam tuam, licet amplissimam, verum etiam totam
Europam compleuerit; cum ultimae illae gentes, magnificentissi-
ma, & splendidissima legatione, quantum suo iudicio tibi tribue-
rent, declarauerint. Videbant sanè non posse suas ciuitates, ac to-
tum denique regnum prudentius, ac sapientius administrari
posse, quàm ab eo adolescente, qui, singulari prudentia, omniq.
virtutum genere senes ipsos, omnesq. adè homines antecelle-
ret. Nam, per Deos immortales, quid aliud est, ex ulti-
ma Germania, atque adè ex ea regione, quae viris & nobilissi-
mis, eruditissimis, ac diu, multumque in reipub. administratio-
ne uersatis, abundat, ad te, Henrice, qui inde quàm longissime
aberas, venisse eos homines, eoq. honore, qui maximus est, &
amplissimus, te cohonestasse? quid, inquam, hoc est aliud, quàm
palam, atque ingenuè profiteri, te cum esse, in quem tota Euro-
pa oculos habet coniectos? cuius, scilicet, virtutem suspicit?
quem unum, inter caeteros mortales, diuinis honoribus dignum
iudicat?

iudicat? Dici enim non facillè potest quanta te contentione Poloni, ut regni illius gubernacula prenderes, rogarent, atque obsecrarent: & quantopere etiam Gallia tua, ne eorum preces audires, tecum ageret: non quòd honori tuo inuideret, quae, scilicet, te, uti dignus es, maximum semper, atque omnibus fortunae bonis voluit esse cumulatisimum; sed quòd suum alumnus, de quo illa, iure optimo, tantopere gloriabatur, atq. adeo eum, cuius virtute recreari inciperet; quem unum sibi aduersus omnes perditorum hominum impetus, maximo praesidio, ut antea, quàm saepissimè fuerat, futurum sperauerat; ac denique eum, cuius fide, probitate, sapientia totius regni salus nitere-retur, sibi praeripi, atque è suo conspectu longè gentium abdu-ci, aegerrimè patiebatur. Sed cum Poloni acrius instarent, ac summopere (ut in rebus humanis nihil est perpetuò constans) vererentur, ne, quid accideret huiusmodi, quod tuam, Henrice, professionem impedire posset; ac proinde praeclarissimum il-lud regnum, omnesque eae gentes, quibus eras expectatissimus, tanto, tamque optato carerent bono: tandem Gallia ijs te, scili-cet, condonauit, quorum regnum, rege ante aliquot menses, vi-ta functo, verendum erat ne, seditionibus, bellisq. civilibus, qui-bus nihil est hominum generi perniciosius, vexaretur. Itaque Polonia illa tua, cui iam diu, multumque fueras expectatus, si-mulatque te aduentare, ac non longè abesse sensit, quanta, Deus bone, laetitia efferri coepit? quae tandem ciuitas in illo regno fuit, quae non tibi legatos obuiam gratulatum miserit? quid tota illa prouincia non egit, ut se tui & amantissimam, atq. omnibus in rebus, obseruantissimam esse palam faceret? quid honoratius? quid splendidius? quid denique magnificentius ab ullo unquam agi, aut excogitari potuit, quàm tunc temporis est ab ijs actum de

tuo

tuo summo honore, quem Dñs, hominibusq. approbantibus consecutus es? Hoc modo Polonia ridebat, exultabat, se q. felicissimam existimabat; cum interim Gallia, cuius dolor, in dies penè singulos augebatur, tota erat in squalore, ac lacryhymis, vota que nunquam non faciebat, ut, Poloniae rebus aliquando constitutis, te, Henrice, quem absentem in oculis ferebat, iterum videre posset. Id quod Deus Opt. Max. quem tot lachrymarum tandem miseritum est, ei concessisse videtur, cum te ex ijs locis, non sine suo singulari favore, eduxerit, atque ut huc saluus, & incolumis pervenires, effecerit. Ecce, ecce cum praeter omnium spem, atque expectationem in optatissimos complexus venies; & Galliam tuam Caroli Regis fratris tui acerbissimo casu perculsam, tuo aduentu, consolabere. O felicem hodierno die Galliam, quae te (at, qualem virum?) regem habebit. Atque interim, o felicem etiam Italiam, quae, quòd te tantum regem videt, incredibili afficitur laetitia. Ac tandem, o felicem Christianam rempub. cui, te vivo, nunquam deerit summum, ac firmissimum praesidium. Idque potissimum erit, si Catharinae matris tuae, optimae, ac sapientissimae reginae monitis, ut antehac tu quidem, cum summa pietate, fecisti, obtemperabis, omnibusque in rebus, quod illa tibi consilium dederit, sequeris. Quis enim praestantissimae illius reginae prudentiam, quis consilium, quis ingenij excellentiam, quis caeteras alias, quas illi natura elargita est, praeclaras, tum corporis, tum animi dotes, non dicam, ut par est, praedicare, sed satis admirari poterit? Nam, ut omittam id, quod nemo, opinor, nescit, eam, scilicet, Henrico illi magno, regi praestantissimo patri tuo, ob admirabiles eas, quas dixi, dotes, quàm gratissimam, & charissimam fuisse; postquam is, acerbissima morte nobis ereptus est; tuq. unà cum tuis

fratribus

fratribus, regibus optimis, ac praestantissimis puer esses; iamq.
ex eo tempore, plerique in Gallia, infestissimis animis, omnia per
turbare, urbes incendere, atque agros populari coepissent, neque
uos, aetatis imbecillitate, tantam rerum gravitatem sustinere
possetis, quis tantis malis obuiam iuit? quisnam magnos illos ru-
mores, ac seditiones tunc sedauit? quis regnum vobis conserua-
uit? quis denique vos è manibus flagitiosissimorum hominum eri-
puit, nisi mater, mater, inquam, tua; de cuius eximia virtute
non satis dici potest? nonne eadem postea, & in bello, & in pa-
ce, domiq. ac foris, nulla neque aetatis, neque suorum commodo-
rum habitatione, vobis, inquam, omni tempore singularem fi-
dem, ac diligentiam praestitit? nonne ipsa, cum opus fuit, ad ca-
stra profecta est, & duces, atque ipsum exercitum magnis ali-
quando praemijs ad defectionem sollicitatum in officio continuit?
Quid illa aliud in tota vita egit? quid aliud ei propositum fuit,
quam ut vestrae utilitati, commodis, splendori, salutique
consuleret? Atque hoc magis, tu, Henrice, illi obligatus es, ac
deuinctus, quod ipsa animo tuo tenello, cum olim puer esses, in-
stillauit ea praecepta, quibus semel imbutus, non solum tuorum
maiorum, regum clarissimorum similem te reddidit, uerum etiam
eum, qui illos, & rei militaris laude, pietateq. facile superasti.
Quare hanc tu matrem si in consilium tuum adhibebis, multò ti-
bi id erit utilius, ac pulchrius, quam Agamemmoni illi regum
regi habuisse in consilijs capiendis Nestorem. Quod si, ut spe-
ro, feceris, magna nobis spes ostenditur, fore, ut, cum hostium
tuorum reliquias, si quae sunt, deleueris, liberes etiam, non modò
Galliam tuam, uerum etiam totam Europam teterrimis ijs mon-
stris, quae illam iam multos ab hinc annos occuparunt, hoc est, li-
bidine, superbia, gula, desidia, auaritia: quarum ductu omnia

hodierno die, ubiuis gentium geri, atque administrari uidentur; atque earum loco diligentia, scientia, constantia, aequitas, liberalitas, modestia, temperantia, iustitia, caeteraeq. Virtutes, quae ex hominum animis, per summam iniuriam, exulant, tua, Henrice, ope huc redeant. id enim ipsae Virtutes, quarum tu es alumnus, suo iure a te exposcere uidentur. Tunc erit illa dies, cum saeculum illud ferreum, cuius immanitatem nimium, ah, pernimum experti sumus, hinc concedet. omnesq. omnium eorum bonorum, quae percupiuerant, ac Votorum compotes facti, tranquillam, uereq. beatam, tuo, Henrice, beneficio, agent. erisq. nobis idem propè, qui fuit Saturnus ille uir optimus, ac praestantissimus, atque ob ingentia beneficia, quibus homines affecerat, in numero Deorum collocatus, temporibus illis, quae ob singularem quandam felicitatem aurea saecula sunt appellata. Dixi.





